Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

lxxxv

opata est in me. Semp
enim pauperes habetis uobis
cum; et cum uolueritis potestis
illis benefacere, me autem non
semper habebitis. Quod habuit
hoc fecit; prouenit ungere cor
pus meum in sepulturam.
Amen dico uobis; ubicumque
predicatum fuerit euangelium
istud in universo mundo;
et quod hoc fecit narrabitur in
memoriam eius. Et uadit
scariothis unus de duodecim;
abiit ad summos sacerdotes
ut prederet eum illis. Qui audi
entes gauisi sunt; et pro
miserunt a pecunia se da
turos. Et querebat quomodo illum
opportune traderet. Et prima
die azimorum quando pascha
immolabant, dicunt ei di
scipuli. Quo uis eamus
et paremus tibi ut manduces
pascha? Et mittit duos
ex discipulis suis; et dicit
eis. Ite in ciuitatem, et oc
curret uobis homo lagenam aq
baiulans; sequimini eum, et
quecumque intrauerit dicite domino
domus quia magister dicit u
bi est refectio mea ubi cum
discipulis meis manducem.
Et ipse uobis demonstrabit ce
naculum grande stratum; et
illic parate nobis. Et abierunt
discipuli eius et uenerunt
in ciuitatem; et inuenerunt
sicut dixerat illis, et paraunt
pascha. Vespere autem facto uenit
cum duodecim; et discumbentibus
eis et manducantibus ait illis.
Amen dico uobis; quia unus
ex uobis me tradet qui man
ducat mecum. At illi cepe
runt contristari; et dicere ei
singillatim. Numquid ego?
Qui ait illis. Vnus ex
duodecim qui intingit me
cum manum in catino; hic
me tradet. Et filius quidem
hominis uadit sicut scriptum est
de eo; ue autem homini illi per quem
filius hominis tradetur. Bonum
erat ei, si natus non fuisset
homo ille. Et manducantibus
illis accepit iesus panem et
benedicens fregit; et dedit
illis et ait. Sumite; hoc